



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

80. Ut nullus Presbyter absque vestimentis sacerdotalibus præsumat
Missam cantare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De fontibus sacris. *Vnde supra.*

Hincmar. Ca-
pitula an. 852.
c. 3.
Burchard. lib
4. c. 13.
Capitulae
Ahytonis c. 7.

LXXIX. Presbyter qui fontes lapideos habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat, quod nunquam extra Ecclesiam deportetur. Similiter ad corporale lavandum & ad pallas altaris propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat. [*Vide infra cap. 271. hujus libri.*]

Ut nullus Presbyter absque vestimentis sacerdotalibus praesumat Missam cantare.
Ex Concilio Remensi.

LXXX. Nullus Presbyter sine amictu, alba, & stola, & fanone, & casula ullatenus Missam celebrare praesumat. Et haec sacra vestimenta mundissima sint, & in nitido loco intra Ecclesiam collocentur. Nec Presbyter, cum his induitur, extra Ecclesiam exeat; quia hoc lex divina prohibet.

Ut nullus Presbyter in vadium sacra vasa vel vestimenta mittat. *Vnde supra cap. XI.*

Hincmar. in
Capitulis da-
tis an. 852. c.
11.
Burchard. lib.
3. c. 104.
Capitulae
Theodulfi
c. 18.

LXXXI. Ut nullus Presbyter praesumat calicem vel patenam vel pallium altaris vel vestimentum sacerdotale aut librum tabernario vel negotiatori aut cuilibet laico vel feminae in vadium dare, nisi justissima necessitate urgente: quia tanta est sanctitas sacri ministerij, ut salva altioris mysterij intellegentia, etiam per Prophetam Dominus prohibuerit ne cum sanctis vestimentis sacerdos procedat ad populum, sed intra sancta illa dimittat, &